

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historia Zaringo Badensis**

**Schöpflin, Johann Daniel**

**Carolsruhae, 1765**

LXXXVIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](#)

## LXXXVIII. A)

EGINO JUNIOR COMES DE URACH, DOMINUS  
FRIBURGI, EANDEM DONATIONEM  
CONFIRMAT.

A N N O   M C C X X .

*Ex autographo Tennebacensi.*

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Ego *Egino Comes de Urach.*  
*Dominus Castri de Friburc.* Omnibus tam presentibus quam futuris  
 geste regi noticiam. Cum sciamus omnipotentis Dei prudenciam celestia  
 simul & terrena moderari. & nihil sub sole aliquatenus posse subsistere.  
 nisi diligent cura ipsius gubernetur. idemcirco nos beneficiorum ipsius  
 non inmemores nec ingrati. & si condigne non possimus. ei tamen pro  
 posse respondere parati sumus. Sciant ergo universi generaliter & dilec-  
 ti ciues dilecte ciuitatis nostre *Friburc* specialiter. quod cum Chuonra-  
 dus bone Recordationis qui dicebatur Groce & uxor ipsius Hiltrudis. di-  
 uina Inspiratione Inducti curtim suam & Molendinum quoddam Extrà  
 muros ciuitatis cum omnibus pertinentijs suis id est agris. pratis. vi-  
 neis cultis & incultis domui de *Tennibach* in presentia ciuium multorum.  
 quorum Nomina subscripta sunt. pro salute animarum fuarum liberè &  
 absolutè secundum libertatem quam eadem ciuitas ab *Avis & Proavis no-*  
*nistris illustribus Zaringie ducibus* ab antiquis temporibus fundata esse dino-  
 scitur. contulissent nos quoque eandem donationem ratam & gratam

habuimus. Sed quia agri curtis ejusdem Naturaliter per se steriles, necesse habent cujusdam aque deduictione irrigari, alioquin essent inutiles, cuius aque usum idem C. de manu domini & *auunculi nostri ducis Bertholdi* feodaliter habebat. Successione quoque ejusdem aque proprietas, hereditario jure ad nos fuerat devoluta, nos ad laudem & gloriam & honorem gloriose dei genitricis semperque virginis Marie usum ejusdem aque domino abbatii Chuonrado & Monasterio supra dicto ze rehtem Erbilehin concessimus in perpetuum possideandum, pro solidi Brisgau-diensium nobis annuatim exinde per soluendo. Preterea sciendum est, quod jam dicti C. & H. prefato Domino abbatii & Fratribus ipsius de Tennibach annuatim quantum vixerint duos denarios de curia eadem persolvere constituerint. quatenus ratione persolutionis sensus ejusdem ad ipsos & domum predictam pertinere dinoscatur. ut autem hec rata permaneant & inconuisa, presentem paginam conscribi, & sigilli nostri fecimus munimine roborari. Acta sunt hec anno ab incarnat. domini. M. C. C. XX. VI. id. Aug. Indict. VIII. in ipsa ciuitate Friburc. Testes hujus rei sunt. Dominus Eberhardus abbas de Salem. Bertholdus minor frater meus. Heinricus cellararius de Tennibach. Cotfridus marschalcus, & frater ipsius Wernherus de Stouphen. Chuonradus Snewelinus. Hugo de Touselingen. Albertus Chohzo. Johannes monetarius. Beischarius Fridricus & fratres ejus. Reinboto de Offemanningen, & Albertus de Crozlingen & fratres ejus. Heinricus Vahzare. Heinricus Locheli. Cotfridus de Tocinchouen & fratres ejus & alij quam plures.